

1440
/ Ill/me et Rev/me Domine.

Allocutus sum Sanctissimum Dominum nostrum Papam circa dubitationem duplicis irregularitatis in quam se incurrisse metuit R/ma Dominatio tua, et quidem de priore certum est non esse irregularem, 5 qui non suspendit quos debuit suspendere à divinis. De posteriore probabilissimum est non esse irregularem qui praeter intentionem occidit hominem dans operam rei licitae. Tamen ad cautelam Sanctitas Sua dispensavit cum R/ma Dominatione Tua super irregularitate quam fortasse incurrit, vel, si incurrit, displodendo sclopetum, unde processit mors illius hominis, de quo in literis. Hanc tamen dispensationem Sanctitas Sua concessit praesuppositis narratis in literis vestris, si videlicet ita se habeat rei veritas. Quare R. Dominatio vestra non amplius retardet reordinationem sub conditione eorum, quos antea ordinaverat: nondum enim plene constitit an Cosmus Morphi sit verus archiepiscopus Corinthi, ut ipse se esse dacebat, 15 quamvis fere certum sit eum non esse nec unquam fuisse episcopum vel archiepiscopum.

His valeat R/ma Dominatio Sua et strenue in vinea Domini colenda laboret, mercedem plenam a Domino perceptura. Romae die 16 iunii 20 1614.

R/mae Dominationis Vestrae

Uti frater ad obsequendum paratissimus.